



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

252. Vtrum Clerici teneantur ad gabellam, quæ imposita est pro
manutenendo exercitu in partibus inimicorum, vt tutius confinia Regni
conseruentur? Ex p. 1. tract. 2. res. 79. aliàs 78.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

omnino consulendus est. Ita Suarez, & Castrus Paulus *vbi supra*. Et ad omnia supradicta stabilenda non desinam hic apponere verba Concilij Lateranensis sub Leone X. anno 1521. *sess. 9. sub finem, §. & cum à iure tam divino, &c.* vbi sic habetur. In nouamus omnes Apostolicas sanctiones in favorem libertatis Ecclesiasticæ contra eius violatores quomodolibet editas, & cum in Lateranensi pariter ac Concilij generalibus sub excommunicationis pœna prohibuit fuerit, ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, alique Potentatus quicumque Regnis, Provinciis, ac terris quomodolibet præfidentes, collectas, decimas, & alia huiusmodi onera Clericis, Prælatibus, & aliis quibuscumque personis Ecclesiasticis imponant, exigantque, néve à sponte etiam dantibus, & consentientibus recipiant, atque in præmissis auxilium favorem, vel consilium palam, vel occultè præstantes in excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incidant. Et ipsæ quoque Respublicæ, ac communitates & vniuersitates circa hoc quomodolibet delinquentes Ecclesiastico eo ipso subiciantur interdicto. Prælati etiam præmissis absque expressâ Romani Pontificis licentia vltro consentientes, excommunicationis & depositionis pœnam ipso facto incurrant, statuimus & ordinamus vt de cætero talia præsumentes, & si (vt præfertur) qualificati fuerint; vltra supradictas pœnas, quas contraveniendo ipso facto incurere volumus, in nouamus quod ad omnes actus legitimos inhábiles, & intestabiles habeantur. Hæc in dicto Concilio Lateranensi, quæ vti nãm aliqui considerarent, & vt par est timerent. Sed circa materiam præsentis resolutionis, vide infra in Magistrali decisione Rotæ coram Peña in vna Brundisina Gabella, die 13. Februarij 1604.

Decisio hæc est infra in fine huius tom. 9. pag. 497.

RESOL. CCLI.

An Ecclesiastici teneantur soluere gabellas impostas pro primo introitu Regis in Ciuitatem: Ex part. 3. tract. 1. Ref. 11.

§. 1. **A**ffirmatiuè responder nouissimè Paponius *lib. 5. tit. 11. ar. 15.* vbi sic asserit. Iudicatum fuit in Curia Parisiensi mense Aprilis 1595. aduersus Clerum Trecentum, qui depulsi sunt ab oppositione facta aduersus adscriptionem collationis impensatum factarum ab incolis prædictæ ciuitatis Trecentis, cum Rex Henricus IV. eam primum solemniter ingrederetur anno 1595. decretumque fuit Ecclesiasticos cogendos captis pignoribus, seu bonis temporalibus ipsorum. Ita ille, & Remigius de Gom. *tract. de charitativo subsidio 9. 59. num. 13.*

2. Sed contrariam sententiam omnino amplectendam esse puto, cum communi consensu Theologorum, & ita docet in terminis Azorius *part. 3. lib. 5. cap. 19. g. 11.* & ex Iuriconsultis noster D. Carolus de Grassis *de effect. cler. eff. 3. num. 264.* Aluarez *in specula Pont. cap. 35.* Aloysius de Leo *in l. placet n. 1. C. de sac. Eccles. qui omnes asserunt text. dictæ leg. placet, esse correctum per Authen. item nulla communitas, eod. tit. & ratio est, quia licet supradicta gabella sit imposta propter publicam necessitatem, tamen dicta necessitas publica solis laicis est communis, & tantum indirectè, ac remotè, ad clericos quoque pertinet, in quo casu ipsi non tenentur ad contributiones, vt satis probatum est *suprà in 1r. de immunitate Ecclesiastica part. 1. in * resol. 40.* & docet inter multos Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 3. n. 24. & 25.**

* Quæ hic est supra Ref. 246. & in aliis eius primæ not.

RESOL. CCLII.

Virum Clerici teneantur ad gabellam, quæ imposta est pro manutenendo exercitu in partibus inimicorum, vt tutius confinia Regni conseruentur: Ex part. 1. tract. 2. Ref. 79. aliàs 78.

§. 1. **A**ffirmatiuè responder Henriquez *lib. 10. cap. 15. dub. 5. in glossa lit. Q.* vbi sic asserit. [Anno 1590. consulti Salmanticenses Iurisperiti, Moya, Solis Didacus, Henriquez, Sahagum, Bernal, & ex Theologis Magister Gueuara, Bañez, & plerique alij, admittunt, iuste compelli Clerum per Episcopum, contribuere pro ingenti pecunia, quam Regna, & Senatores vrbis promiserant Regi pro adiuuandis Catholicis contra Hæreticos Gallos, & vt tutius conseruentur confinia Hispaniæ.] Ita Henriquez,

2. Sed contrariam sententiam docet Carolus de Grassis *de effect. cler. eff. 3. num. 243.* vbi putat, quod tunc Clerici tenentur contribuere, quando utilitas, siue necessitas principaliter, & immediatè, & non mediatè, & in remotis tangit illos, vt ait ipse, quando Princeps vellet imponere gabellam, seu collectam pro manutenendo exercitu, & faciendo bellum in partibus inimicis, ne inimicus accederet ad suas ciuitates; licet ex isto actu ciuitas, cui imponitur gabella, consequatur utilitatem; scilicet, quod propter tale bellum hostes non possunt molestare ciuitatem. Ita ille. Et hæc opinio contra Henriquez est omnino tenenda, vt nos *suprà* etiam firmamus.

RESOL. CCLIII.

An Princeps laicus possit imponere gabellas super bona Ecclesiasticorum propter reparationem pontium, murorum, & aruarum: &c.

Et an Clerici teneantur ad contributionem, vt oppidum, quod Rex vendere parat, se redimat: Ex part. 1. tr. 2. Ref. 39. aliàs 38.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondent aliqui Iuriconsulti *Sup. hoc tom. 7. tit. 11. Ref. 3. & sup. in Ref. 214. §. 11. post medium.* Ex autoritate leg. *Ad instructiones inuenerum, pontiumque, etiam diuinas domus, & venerabiles Ecclesias, libenter adscribimus.* Et præter Iuristas, quos adducit Borellus *de præf. Reg. Cathol. cap. 62. num. 48.* Salgado *de protectione regia, part. 3. cap. 5. num. 9.* & nos adduximus in *tract. de Parlamenti*, docet hanc sententiam ex Theologis Vialdus *in Candelabro aureo super Bullam Cæm. casu 18. num. 3.* Henriquez *in summa, lib. 10. cap. 15. num. 5.* vbi in *Gloss. lit. L.* asserit, ius ciuile in hoc non esse correctum, sed declarare ius canonicum, & mentem Pontificis.

2. Sed hæc opinio exploditur communiter à Theologis, quos citauit dicto tract. quibus nunc addo Homobonum *de exam. Eccl. p. 2. tract. 11. cap. 6. quæst. 9. suppos. 2.* Layman *in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 6. nu. 6.* Ioann. de la Cruz *in director. conscient. part. 1. præcept. 7. 9. art. 3. dub. 1. conclus. 1.* Augustinum Barbofam *in suis consiliis post Flores direct. Inquis. cons. 2. Salonium tom. 2. in 2. 2. quæst. 78. art. 5. contr. 5.* Soufam *in Bull. Cæm. cap. 19. disp. 92. num. 6.* Bellellum *in disquis. cleric. part. 1. tit. 5. §. 2. num. 12.* Portel. *in addit. ad dubia regularia, verb. tributum, num. 5. & 8.* Alterium *de cens. tom. 1. disp. 19. lib. 6. cap. 6. dub. 8.*

3. Ad Argumentum verò desumptum ex leg. *Ad instructiones.* respondeo cum Lessio *lib. 2. cap. 33. dub. 3.*